

vis fugam indicium ad torturam esse afferere videatur, *Iohan. Zangerus de tortur. c. 2. num. 35.* Plura de fugâ agunt, *Lud. Gilb. in arb. jud. crim. c. 6. part. 6. num. 1. cum seqq. Franc. Torreblanc. Villalp. Cordub. in demon. lib. 3. c. 17. nu. 27. cum seqq. Matth. Steph. hic, n. 9. Eberh. Speckh. cent. 3. class. 2. q. 1. nu. 1. p. 548. nu. 13. cum seqq. & ego in Pentade conf. 1. nu. 48. 49.* Vide *Gobler. in auctario per tot. p. 32. 33 Dn. Herm. Goëhaus. in tract. lurid. adversus sagas in tit. 1. notis 1.*

ARTICULUS XXVI.

De octavo & ultimo indicio communi.

I. Octavum indicium ad torturam, si reus litem cum læso habeat de omnibus bonis, vel majore parte bonorum suorum, *Steph. Remus Zieritz. hic. Miror*, cur hic præsens articulus separatus à præcedenti, & ita hoc ultimum indicium non septem prioribus adjectum fuerit? In hac nostrâ constitutione criminali, salvâ tantâ Imperatoris autoritate, illâq; toties mutatâ non justus ordo undequaque est observatus; cum multa potuissent tradi distinctius, & multa potuisse, uno atq; altero verbo decidi, quæ remittuntur multoties ad prudentum responsa, jure dici potest. Verùm cum inter Comitia Imperii, eoq; ipso tempore, quo quamplurimum gravissimæ causæ in deliberationes inciderunt, sit nata, & in Scenam producta; benigniùs tamen de ipsa judicandum, quàm *Oldendorpius, alias magni nominis Ictus, forens. act. class. 7. in prin. de ea sentit.* Vide omnino *Dn. Bernh. Zieritz. in Epistolâ dedicatoriâ præfixâ notis suis & observationibus nomico-politicis* eleganter, & nervosè hac de re differentem; ad quem Lectorem remitto. Vide *Gobler. hic in auctario, p. 35.*

ARTICULUS XXVII.

Indiciorum generalium concursus.

I. Remota indicia, si sint plura, ad torquendum sufficiunt, ut post *Farinacium, de indicis, 5. q. 37. num. 11. Zieritz. verb. si quæ illorum hic plura tradit.* Ideoque rectè mihi usurpare placet illud *Ovidii*:

Et quæ non profunt singula, multa juvant.

Vide me *Pentad. conf. 1. num. 19.* Placet *Baldus in c. cum causa, ext. de probat. & in rubr. de contr. invest.* cujus verba refert *Zieritz. hic, verb. conjunctim,* & post eum *Steph.*

ARTICULUS XXVIII.

Alia regula de eâdem re.

I. Imperator monita duo non negligenda tradit. Primum fons & occasio, ut *Bernh. Zieritz. hic,* verba pro meis usurpem, cum præsumptionum, tum suspicionum contra reum: Deinde quid, quantumq; suspecta persona justarum præsumptionum, quæ à delicto ipsam excusare possint, pro se habeat. Quemadmodum *M. Tullius Cicero* septum undique vestitum vepribus & dumetis, diuq; ignoratum *Archimedis sepulchrum* nunquam invenisset, nisi immisisset